

SEBALDVS HAYDEN MVSICVS.



Sebaldus honestis parentibus natus, & in omni genere literarum educatus est. Is cum artiū fundamenta feliciter iecisset, se se hinc inde ad doctorū conuentus recepit, & in primis Mathematicis disciplinis incubuit. In ijs etiam tanto successu perrexit, ut uiris doctissimis compararetur. Accedebat & uitæ integritas, & religionis amor. Id cum respub. Norinbergensis cognouisset, hunc Sebaldum liberali stipendio ad se uocarūt, & suam iuuentutem bonis literis imbuere iusserunt. quod quidem ipse singulare industria per multos annos fideliter præstítit, atq; cunctis gratissimus extítit. Scripsit is de arte canendi lib. 2. quibus uerum signorum usum luculēter ostendit, & 1537 Norinbergæ edidit. Deinde Nomenclaturam rerum per classes digestam uarias, atq; Formulas colloquiorum pueriliū, quibus Latinitatis copiam declarauit, atq; usum linguarum suis discipulis familiarē reddidit. Cum hoc modo instituendæ iuuentuti incumberet, atq; suis uigilijs sibi apud doctos magnum nomen comparasset, tandem obiit, & honorificè Norinbergæ sepultus fuit. Con. Gess.